



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sol Triplex In Eodem Universo

Hermann, Amand

Sultzbaci, 1676

Disputatia Undecima. De Parvis Naturalibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95850)

esse prius in parte propinquiore illius loci, quam in remotiori, sed hoc videtur implicare, ergo: Major patet, quia in eodem instanti poneretur in parte remota, & in parte minus remota loci, ergo. Respondeo concessa majori, negando minorem, cur enim, sicut defacto Sol pro eodem instanti, quo creatur producit lumen in parte vinciniori & remotiori, item sicut anima rationalis pro instanti, quo creatur informat totum corpus organicum compositum ex diversis partibus, ita etiam anima separata in instanti non occuparet locum totum adaequatum suum, & aequè primò partem vinciniorum, ac remotiorum.

mabus separatis motus tractionis, vesticionis, aligationis, & revolutionis? Ei videtur, quod tales motus petant tactum, & per consequens quod non conveniant animæ separate respectu corporis, quod enim vehitur, motu fertur alieno, & sic non eget impulsu, quo tantummodo competit spiritui movere: Verius tamen puto, tales motiones convenire animæ per impulsum, cum enim imprimat impulsus, si ipsa comitatur corpus, quod movetur, dicitur tractio, si autem mobile resistat, dicitur vesticio, & sic de cæteris. Sed

VI. Potest continuè, & successivè se movere.

DICO 4. Anima separata potest continuè, & successivè movere se in locum. Est communis, & patet, quia nihil obstat, quo minus sic se moveat, ergo: Probatur antecedens, anima rationalis ad motum corporis movet se continuè, & successivè, licet sit indivisibilis, ergo & anima separata à paritate potest sic se movere.


VII. Non tamen, quin transeat per medium.

DICO 5. Anima separata non potest moveri continuè de uno loco in alium notabiliter distantem, verbi gratià, de Cælo in terram non transeundo per medium. Probatur, quia in hoc essentialiter differt motus continuus à discreto, quod fiat successivè de extremo uno in aliud per partes spatii intermedias, & continuatas, ergo implicat intelligi motum continuum, quin sit transitus per intermedias partes, quod de se patet.

VIII. Convenit eis motus tractionis, &c.

Quæres primò: An conveniant ani-

Quæres secundò: Utrum una anima possit movere alteram separatam? Respondeo, si teneatur, ut supra dixi, omnes animæ esse ejusdem perfectionis, & virtutis, nulla anima commovebitur ab altera invita, sicut nec homo potest moveri ab alio homine aequali virtutis, vel fortitudinis, potest tamen anima separata moveri ab Angelo, & quidem inverti, sicut & Angeli inferiores à superioribus, & vice tali modo, & non sola voluntatem diffinitione, seu repugnantiam, factum est prædum in Cælo inter Angelos bonos, & malos, de quo Apocalypf. 12. Plura si volueris videre, & scire, vide secundum partem Metaphysicæ per totam de Angelis, par enim de illis, ac ista tractatio, unde omnia, quæ hic desunt, per ibi dicenda suppleta volo, prudens lector facile quæ de Angelis dicuntur, poterit animæ applicare, & gratis proinde hic, & ibi multiplicentur, est ergo finis.



DISPUTATIO XI. DE PARVIS NATURALIBUS.

Parva de rebus naturalibus edita opuscula ab Aristotele nunc, & defacto inter-saliter nomen accepere, ut Parva Naturalia vocentur, quæ cum sint, vel necessarie sequantur animasticas operationes, rectè materia de anima subnectuntur; & plus aliorum menti conformabo me ipsis conformiter transmittendo, quam nova effugendo. Sit igitur

QUÆSTIO I.

De memoria, & reminiscencia.

I. Memoria describitur.

Memoriam esse facultatem, quæ recordamur rerum antea cognitarum, dicit Doctor 4. d. 45. q. 3. duplex autem est, una sensitiva, quæ in capite, altera intellectiva, quæ in anima sedem habet: Dari autem hanc facultatem in anima, experientià constat, quia recordamur rerum præteritarum; item anima separata recordatur eorum, quæ in vita gessit, ut patet ex illo Lucæ 16. Recordare fili, quia recepisti bona in vita tua, &c. Differt autem memoria à reminiscencia per hoc, quod reminiscencia præsupponat rei oblivionem, memoria autem non.

Etia scilicet, memorativa, & volitiva: Jam ad dubium respondetur negativè, quia ut supra dixi, eadem est facultas, quæ elicit, & quæ recipit, ac conservat actus, vel species; ad hoc autem quod mens sit Sanctissimæ Triadis imago, sufficit, quod tres in eadem anima potentie numerentur, sive distinctæ sint, sive non.

II. Non distinguitur ab intellectu.

Dubitatur hic, an memoria intellectiva ab anima, aut intellectu distinguatur? Ratio dubii est, quia mens humana dicitur ad imaginem Sanctissimæ Triadis divinitus efformata, & sicut in una essentia tres sunt personæ divinæ, ita in anima tres sunt potentie, intelle-

Quæres I. Quibusnam conveniat memoria sensitiva? Respondeo eam convenire brutis, sed non omnibus.

Probatur prima pars manifestè experientià, & memoriæ indicio, quod in brutis deprehenditur, quale est identidem certa loca, nidos, latibula repetere, sobolem suam dignoscere; item in Plin. lib. 10. histor. cap. 7. campertum est, equos, capras, canes somnitate, quod non fieret, nisi bruta haberent in sensu communi præteritarum rerum assertivas imagines. Quod autem non omnibus conveniat, probat Aristoteles hic, nam bruta, quæ solum gustu, & tactu prædita sunt, memoria caret, ut conchæ, spongiæ, & cætera, quæ marinis locis

pulis adherent, cum hanc ob id ipsum natura brutis concesserit, ut loca ante cognita possint adire, bona sequi, fugere mala; sunt etiam aliqua, quæ licet locum mutant, memoriâ tamen carent, ut culices, & similia, & quidam vermes, qui hinc inde vagantur, nec ad certum locum venire deprehenduntur.

Quæres 7. Quare quædam bruta, ut canes, equi &c. multò melius recordantur viarum, diverticulorum &c. quàm homines? Respondeo, quia bruta dum pergunt aliis rebus sensum non distrahunt, sed totam vim in iis, quæ intuentur percipiendis occupant, & sic firmissimè eam retinent, eadem ratio est de hominibus agrestibus, qui ad brutorum genium accedunt.

Cur canes excellant.

Quæres 8. Cur Melancholici sint diuturnæ memoriæ? Respondeo, quia serius, aut lentius apprehendunt, ideoque altius insigunt.

IX.

Quæres 9. Quare, qui noctes ducunt insomnes, minoris sint memoriæ? Respondeo, quia humores, qui somno erant absumendi, congruam organi siccitatem impediunt.

Quæres 10. Quare illorum, quæ amamus, difficilius obliviscamur? Respondeo, quia de illis assiduè cogitamus.

Quæres 11. Quare Ebrii, læti, & timore exterriti ægrè recordentur? Respondeo, quia vehemens spirituum motus, & agitatio imaginem impressionis impediunt. In timore autem percussis alia est ratio, quia concurrentibus ad præcordia spiritibus partes cerebri, in quibus memoriæ officina est, condensantur, & sic minus capaces imaginum inventiuntur.

X.

Ebrii cur male recordentur.

QUÆSTIO II.

De Somno, & Vigilia.

Quandoquidem Somnus est privatio vigiliæ, & omnis privatio per formam, quam negat, definitur, & innotescit, acturus de somno, hic aliquid de vigilia præmittam: Vigilia est omnium sensuum externorum, aut saltem aliquorum solutio, & libertas. Somnus autem est ligatio regulariter omnium sensuum externorum ad animalium salutem instituta. Dixi sensuum externorum, quia dum homo dormit, non est opus, ut potentia internæ ejus ligentur; dixi ad animalium salutem &c. quia cum sensus morbi alicujus vi feriantur, ut accidit Epilepticis, id est, qui deliquium animi patiuntur, qui aliquando in somno quietantur. Cum igitur somnus sit ligatio sensuum externorum, videre oportet, quidnam eam ligationem causet; & in primis certum est, nullum sensum in actione versari absque ope spirituum à cerebro influentium; si igitur hujusmodi spirituum communicatio inhibeatur, necessarium erit, omnium sensuum functiones intermitteri, & sic somnum causari, nam proxima, & immediata causa efficiens somni est impeditio defluxus spirituum animalium à cerebro ad sensus externos: Unde Aristoteles hic ait: Somnum esse impotentiam sentiendi, causam verò vigiliæ esse oblationem talis impedimenti, & communicationem spirituum animalium. Multipliciter autem hæc spirituum defluxus impediti potest; primò ex ascensu vaporum, & quarundam fumositatum ex crudis cibis causatarum, quæ ascendentes ad cerebrum, ab eodem in frigidantur, & in crassantur, unde meatus omnes præcludunt. Secundò ex fatigatione nimia corporis, in qua spiritus

I.

Vigilia describitur, & somnus.

IV. Etiam pisces habent.

Quæres 2. An pisces habeant memoriâ? Philo Judæus de mundi opificio agens, propterea Deum animalium creationem à piscibus inchoasse ait, quia cum servare ordinem voluit, quem in suis operationibus secutura esset imposterum natura, qui incipiens à vilioribus desit in præstantissima omnium creatura, homine scilicet, quem ad sui efformavit similitudinem, negat ideo in piscibus dari memoriâ. Respondeo tamen affirmativè. Probat ex indicis memoriæ in piscibus deprehensis, narrat enim Plinius lib. 9. hist. natural. de Delphino, qui Musicâ evocatus, & quocunque diei tempore in clamatus à puero, quamvis occultus, & abditus ex imo advolat, pastasque à puero, dorsum assidenti præbebat, per mare ludentem portabat; & eundem revehebat, quod sane non nisi ex memoria faciebat. Ratio etiam suadet supra insinuata, nam memoria, ut dixi, ob id à natura indita est, ut animantes ad definita loca ad commodi alicujus gratiam se conferant, certum autem est pisces in eisdem speluncas, eademque domicilia statim temporibus se abdere, indeque egressas eadem rursus repetere.

V. Occipitium est organum memoriæ.

Quæres 3. Quodnam sit organum memoriæ sensitivæ? Respondeo posteriorem partem capitis, quæ occipitium vocatur. Probat, quia læsâ illa parte, offenditur memoria, & percussus eo loco incipit rerum oblivisci. Secundò dum recordari aliquid volumus, naturâ quasi docente occipitium fricamus, ut memorandi vim excitemus, & acuamus.

VI.

Quæres 4. Quare eorum, quæ in somniis apprehendimus, facilè obliviscamur? Respondeo, quia tunc facultas memorandi remissè operatur, similiter & alii sensus, qui in memoriâ agunt.

VII. Quare ingenii pars sepe sunt memoriæ.

Quæres 5. Quare non iidem & ingeniosi sint & bonæ memoriæ, sed e contra sæpe accidit, ut qui tenacioris sunt ingenii, minus celeri polleant memoriâ, & qui tenacioris sunt memoriæ, minus celeri polleant ingenio? Respondeo, quia ingenii præstantia consistit in celeritate quadam mentis, & facilitate ad ratiocinandum, inveniendum, & demonstrandum, hæc autem celeritas pendet ex acumine, & promptitudine internorum sensuum, præsertim facultatis cogitatricis. Durities autem cerebri, quæ inflexibilis est, facit, ut idola rerum tenacius adherant, & sic celeritatem cogitatricis potentia cohibent, & domant, unde idem, quod memoriâ diuturnam reddit, ingenium habet.

VIII.

Quæres 6. Quare integræ quædam nationes memoriâ parum valent? Respondeo id provenire à Solis, astrorumque dispositione, unde Thebani ingenio tardi, Athenienses verò subtili traduntur.

Spiritus vitales consumuntur, & sic potentia externa manent viribus destituta, donec alii spiritus generentur, hinc est causa somni, & quidem finalis etiam hæc est, ut spiritus reparentur, & conserventur.

II.
Somnus competit omnibus animalibus.

Quæres: An omnibus animalibus somnus conveniat? Respondeo affirmativè, suadet hoc communis eorum necessitas, communis Philosophorum autoritas, Plin. lib. 10. histor. natur. cap. 25. qui etiam aquatilia, ut balænas, delphinosque ita dormire dicit, ut etiam stercentes audiantur.

III.
Prius vigilia quam somnus competit.

Quæres 2. An prius conveniat homini somnus, quam vigilia? Respondeo homines dum habent talem dispositionem, ut habeant sensus externos formatos prius vigilare, quam dormire. Ratio est, quia nil implicat, quominus sentire possint, si ipsis objectum applicetur sensibile, antequam autem habeant sensus sic efformatos, nec dormiunt nec vigilant, quia non habent ligamen, nec solutionem sensuum externorum, cum non habeant ipsos sensus formatos, vigilia enim, & somnus sunt affectiones animalium sensus sic efformatos habentium.

IV.
Fuisse in statu innocentie.

Quæres 3. Utrum in statu innocentie fuisset somnus? Respondeo eum, qui ex lassitudine, aut morbo oriretur negativè; quem verò pura, & suaavis evaporatio alliceret, affirmativè. Ratio primi est, quia talis somnus defectum argueret, qui ibi non fuisset. Secundi, quia hæc est genuina, & naturalis animalis proprietas.

V.
Causa excitationis.

Quæres 4. Quomodo animal expergiscatur, & cesset à somno? Respondeo animal dupliciter cessare à somno, vel sponte, vel vi, vel interpellatione; prior excitatio tunc fit, dum digestio vi naturalis caloris, qui se ad id collegerat, peracta est, tunc enim spiritus robustiores ad externa membra, & organa diffunduntur: Vel universalis ratio est, quia panduntur meatus, per quos spiritus animales à cerebro transeunt ad sensus externos, panduntur autem tunc, quando vapores, qui meatus occludebant, calore consumuntur.

VI.
Dormientes ambulantes.

Quæres 5. An verum sit, quod dormientes aliquando ambulent, disputent, loquantur &c. Respondeo fide authorum dignorum affirmativè, de pluribus namque referunt, qui ex lecto, in quo dormiunt, sese erigunt, vestiunt, ac alio se conferunt, cum tamen aliis appareant dormire, & ipsi postea nullius recordentur actionis; hoc supposito quaeritur, an tales censentur dormire? Respondeo ex suppositione, quod somnus sit ligamen omnium sensuum externorum eos non dormire, quia ad minus in eis sensus tactus est solutus, nec enim aliàs possent se vestire, & cætera facere; dicuntur ergo dormire in largiori aliqua acceptione, quatenus scilicet major pars sensuum est ligata.

VII.
Cur gallus noctu canter.

Quæres 6. Quare gallus gallinaceus circa medium noctis evigilet, & canter? Respondeo id provenire ab indita vi ipsius, quod autem canter, ratio est, quia quiete recreatus, & satiatus signum lætitiæ cantu ostendit.

Quæres 7. Cur supra dextrum latus facilius soporemur? Respondeo ex Aristotele hic quia magis pars dextra quiescit, & immota manet, quæ diuturno tempore magis fuit fatigata, quam sinistra.

Quæres 8. Cur Musica jucunde ad somnum alliciat? Respondeo, quia anima ad cantus intenta reliquorum sensuum quasi obliata spiritus vitales ad eorum officinas mittere desinit, qui sic destituti ligantur, & soporantur.

Quæres 9. Cur ii, quibus venæ non apparent, somniculosi sint? Respondeo, quia per venas angustas, quales hi habent agrè humor à cerebro descendens effluit, sed in ipsis diu insistit, somnumque protrahit, non secus ac per fistulas graciles aqua guttatim, & lente decurrat, per amplas celeriter elabatur.

QUÆSTIO III.

De somniis, & divinatione per somnia.

Somnia sunt affectiones concomitantes somnum, ideo eo explicato, ad somnia hic gressum facio, describitur autem à Philosopho hic, quod sit phantasma apprensus in somno; seu apprehensio phantasmatis nobis dormientibus occurrentis; pro quo adverti in somno non semper sensum internum ligari, nisi quando est vehemens humorum copia, ut omnino spiritus animales obruantur; quando igitur sensus internus liber manet, tunc potest operari circa phantasma, quæ sunt species rerum ab externo sensu cognitarum, in potentia phantastica reservatæ, & hæc sensatio phantasmatum facta in somno somnium dicitur, convenitque omnibus animalibus. Qui plures sensus internos admittunt, multum laborant, in quam potentia somnium sit collocandum, ego quia unum tantum admitto, in eodem pono, sequitur ergo ex his dictis, quod qui caput habent multis fumositatibus repletum non possunt somniare, ut sunt pueri, infantæ, & dæmni. Hæc etiam est ratio, cur initio somni non somniamus, in medio valde obscure, & in fine clare, ac distinctè, non secus ac si vigiles essemus, quia initio humores valde abundant, in medio aliquantulum vident, & in fine consumuntur. Sequitur secundo quod fortius ea somniamus, quæ firmiter per sensus externos cognoscimus, nam tunc phantasmata sunt rigidiora; somniamus item ea, quæ complexionum sunt magis conformia, sic melancholici tristitia, & horrida, cholericis bella, cædes, & ripas, phlegmaticis aquas, pisces, &c. sanguinei ritus, ludos, & delectabilia.

Quantum ad divisionem somniorum, quinque genera enumerant auctores, Oraculum scilicet, Visionem, Somnium, Infomnium, & Phantasma. Oraculum dicitur esse, cum in somnis aliqua Sancta, gravisque persona eventuum aliquid, vel faciendum prænuntiat. Visionem dicunt id, quod quis somniat eo modo, quo viderat in vigilia. Somnium est, quod de gurgis tectum, quod sine interpretatione intellegi non potest. Infomnium est, quando id, quod fatigaverat vigilantem, ingerit se dormienti, verbi gratia, iulus, cibus, studium, &c.

rasina est, quando quis dormiens adhuc se vigilare aestimat.

III. Somnia alia

Somnia alia sunt Divina, alia Dæmoniaca, alia Naturalia, seu animalia; Divina sunt, quæ à Deo vel immediatè, vel mediatè per Angelos insinuantur, talia facta fuisse tam Novum, quam Antiquum testatur Testamentum. Dæmoniaca dicuntur ea, quæ à Dæmonibus inducuntur, possunt enim modo eodem, quo ab Angelis bonis induci, cum habeant eandem naturam & virtutem, licet non eundem spectent finem, Angeli enim boni Dei gloriam & hominum salutem, mali verò æternam damnationem intendunt; duo autem sunt, quæ impurus spiritus assequi nititur, ut si mentes non possit castas in vigilia, saltem corpora obscænis pollutionibus, & cogitationibus in somno sedet. Secundò, ut ignaros homines variâ superstitione decipiat. Somnia Naturalia, seu Animalia dicuntur, quæ ex affectione corporum, temperamento, aliisque modis nascuntur, vel quæ versantur circa res, quibus per diem occupati sumus. Ratio est, quia species illorum objectorum ob assiduum usum valde activæ sunt, & ad excitandam potentiam efficaces; hinc liberales somniant se largiri, mendici petere, cantores cantare, Philosophi disputare, avari pecuniam congregare & similia, unde Aristoteles hic inquit bonorum hominum semper meliora esse somnia. De arte divinandi, seu præfagiendi futura ex somniis, quam somni speciem vocant, diversæ fuerunt antiquorum Philosophorum opiniones, Epicurus, Xenophanes & Colophonius omnem artem divinandi è medio sustulerunt, è contra verò Platonici, Pythagorici, ac Scotici plurimum in ea acquirenda, ac comparanda insudârunt. Non est tamen negandum per ea somnia, quæ ex affectu corporis, vel cælesti influxu obveniunt probabilem conjecturam eventuum aliquorum capi posse, ut patet exemplo illius, qui somnium se vidisse ovum ex fascia sui lecti cubicularis dependens, qui consulens conjectorem, responsum accepit, quòd thesaurus defossus esset sub lecto, fodit & aurum argento circumfusum invenit, mittensque aliquid de Argento interpreti, An nihil de vitello interrogat interpres, per quod significatur aurum, uti & per album ovi argentum accepisset? Tenendum præterea & Diabolum quarundam rerum species posse insinuare in somniis, unde valde malè quis faceret, si ad Dæmonem, quid somnia portentent, recurrat, non solum quatenus illicitum est tale commercium particulare cum Dei, & nostro inimico habere, sed etiam quia cum ipse sit pater mendacii, non possit aliquis cum certitudine cognoscere, an verum sit, nec ne? S. Hieronymus supra verba illa Eecl. 5. In multitudine somniorum, &c. ait: Cum diversa videris per nocturnam quietem, & variis anima fuerit exagitata terroribus, sive incitata a promissu, tu ea contemne & solum Deum time, qui enim somniis credunt, vanitatibus & ineptiis plurimum se tradunt, intellige de somniis animalibus.

IV. Somniorum finis.

Quæres primò: Cur Deus in somniis potius, quam vigiliæ tempore occultarum rerum vaticinia inspiraret? Respondeo, quia animas tunc tumultuantium rerum, & externorum F. Amandi Hermann Physica.

V. Deus per somnia loquitur magis.

Quæres primò: Cur causa finalis respirationis sit refrigeratio, & omnia viventia spirant.

sensuum functione carens aptior est ad divinarum rerum cognitionem cælitus hauriendam.

Quæres secundò: Cur Divina somnia non semper clara sint & aperta, sed quasi ængmatica? Respondeo, quia sic mens humana ad Divina mysteria in pretio habenda efficacius instruitur, quam si ea statim primo occurso prænosceret.

VI. Non sunt semper clara.

Quæres tertio: Quam ob causam dormientes aliquando graviter confluctentur, quasi oppressi incubantis & vocem, ac spiritus intercludentis Dæmonis, aut alicujus alterius rei similis pondere, quod Epithaltem, quati subultorem vocant? Respondeo, quia potissimum post affluentem satietatem multus sanguis, aut spiritus ob defectum concoctionis parum defecatus, proindeque obscurus, & tetricus in cerebrum evadit, ipsumque degravat, atque accubatu suo terrificam illam movet imaginem.

VII. Ratio Epithaltem.

QUÆSTIO IV.

De Respiratione, Vita & Morte hominis.

In hac Quæstione examinabo Respirationem, Ætatem hominis, Vitam & Mortem, quia tamen res sunt parvi momenti, plurima per quæres expediam, quàm laconicè.

I. Respiratio in quo consistat.

Respiratio, de qua hic, in duplici consistit motu, attractionis scilicet aëris ad cor per pulmonem, & asperam arteriam facta, quæ dicitur inspiratio; Et ejusdem aëris expulsionis, quæ dicitur expiratio; Inspiratio, seu attractio aëris fit hoc modo; dum aër ore à naribus attrahitur, elevatur Epiglottis, seu lingula, claudens ostium laryngis & liberum relinquit iter aëri per laryngem, & asperam arteriam, quæ in duas partes dividitur prope pulmones, deinde per eandem viam egreditur & fit expiratio; Pulmones autem in hoc se habent per modum folium, nam dum aër attrahitur elevantur, dum verò expiratur restringuntur. De principio hujus motus est quæstio; aliqui putant esse cor, alii ipsos pulmones, alii muscolum illum simplicem & rotundum, qui separat cor, & pulmones à jecore & liene, quem diaphragma vocant, alii omnia ista. Existimo tamen primum principium motus esse ipsam calorem cordis ex novo sanguine generatum, qui calor diffunditur cum sanguine per arterias pulmonum, quæ ratione inflatur & attollitur thorax, in quem subingreditur aër, ut locum repleat, qui sua frigiditate calorem cordis & pulmonum retundit, & hæc ratione pulmones concidunt, aërem expellunt, ut patet in foliis, & quia novus semper advenit calor, ideò nova causatur inflatio, novaque respiratio. Et per hoc soluta est quæstio quomodo causetur tam difformis, & contrarius motus expansionis & contractionis, si enim asignetur solus pulmo, aut solum diaphragma principium hujus motus, qui est naturalis, difficulter solvetur hæc quæstio. Causa finalis respirationis est refrigeratio caloris cordis, ne animal in ejus excessu intereat.

II. Non omnia viventia spirant.

Quæres primò: Cum causa finalis respirationis sit refrigeratio, & omnia viventia spirant.

habeant calorem innatum, qui humido radicali depascitur, an omne vivens debeat respirare? Respondeo negativè; licet enim omne vivens refrigerari debeat, non tamen respirare, nisi ubi multum calor excedit, hinc plantæ quia modicum calorem habent, non respirant, sed sufficit, quod aère & aquâ ambiente refrigerentur.

III.
Non omnia
animantia
respirant.

Quæres secundò: An omnibus animalibus competat respiratio? Respondeo, quod exanguibus animalibus, quæ parva sunt & pulmonibus carent, non competat, sicut nec piscibus, ut hîc docet Philosophus, nam si respirarent pisces, deberet intra aquam reperiri aër, quod est falsum, nec extra aquam morerentur, sicut nec terrestria in aqua suffocarentur. Refrigerantur ergò ab aqua ambiente per fistulas ad interiores partes penetrante; sunt tamen aliqui pisces pulmones habentes, qui respirant, ut delphini, balænæ, crocodili, ranæ, &c. quia tamen parum habent caloris, & pulmones habent ferè exangues & fungosos, idè à respiratione diu cessare possunt.

IV.
Prior est in-
spiratio.

Quæres tertio: Qui motus prior sit, an inspirationis, an expirationis? Respondeo cum Philosopho priorem esse inspirationem, sicut in morientibus posterior est exspiratio.

De Vita & Morte hæc nota: Vita à Philosopho describitur: quod sit permanens anima vegetatrix cum calore; quia tamen hæc particula cum calore difficultatem excitare posset, melius fortè describeretur, quod vita sit convictio Animæ cum corpore. Mors verò describitur: quod sit discessus Animæ à corpore.

V.
Ostomestres
non supervi-
vunt.

Quæres primò: Cur infantes nati septimo mense, nati supervivunt, octomestres verò, quod experientia habetur, nunquam? Respondeo, quod Philo Judæus, & Aphrodisius referant in occultam vim numeri septenarii, quod omnes etiam approbant.

VI.
Infantibus
actiones na-
turales bonæ
sunt.

Quæres secundò: Cur infantibus actiones naturales validæ sint, non verò animales? Respondeo, eo quod operationes naturales fiant à colore, quo abundant infantes, animales verò à spiritibus sensitivis, qui in cerebro perficiuntur, suntque admodum modici illis.

VII.
Pueri sapien-
tes non diu-
vunt.

Quæres tertio: Cur pueri maturius prudentes, aut non vitales, aut seniores stupidi sint? Respondeo, eò quod habeant intempestivam cerebri siccitatem; hinc canit communis: *Odi pueros præcoci sapientiâ.*

VIII.
Qui magis
senescunt.

Quæres quartò: Cur, qui eminentiora loca Cælo incolunt, tardiùs senescunt? Respondeo cum Aristotele, quia senectus est putredo quædam, idè putrescit citò, quod quiescit, non quod movetur, moventur autem quodammodo flante vento.

IX.
Senes illibe-
rales.

Quæres quinto: Cur senes timidi, suspiciosi & illiberales sint? Respondeo timidos esse ob defectum caloris, qui generositatem

parit; suspiciosos esse dicit Aristoteles lib. 2. Rhet. 13. quoniam increduli; increduli verò, quoniam experti, Illiberales sunt, quia quam diutissimè adhuc vivere peroptant, & idcirco vitæ necessaria ægrè dimitunt.

Quæres sexto: Cur dentes citius frigeant, quàm caro? Respondeo Aristoteles, quia tenuibus meatibus, ut nervulis sunt infixi.

Quæres septimò: Cur calvescimus magis à temporibus? Respondeo, quia regio illa valde siccata est, hæc perhumida, à siccitate verò defluvium, à humore canities est.

Quæres octavo: Cur homo præ omnibus aliis animantibus citius senescat? Respondeo, quia cæteris pili sapius decidunt, ut equo & bovi, si verò non decidunt, brevis tamen eorum vita est.

Quæres nonò: Cur capilli detritius, quàm operi canescant? Respondeo, quia canities à putredine est, status autem putredinis prohibet, & operimentum flatum prohibet.

Quæres decimò: Cur ea, quæ præ magnitudine suorum corporum grandius esse habent, ut lepores, cervi, mures, alini, mulæ, timidiora sint? Respondeo, quia exigua copia caloris, qui animositate auctor est in magno receptaculo exolefcit & infrigidescit.

Quæres undecimò: Cur quædam modum spiritus vitales in corde conficiunt, non etiam animales in eodem efformant? Respondeo, quia ut spiritus ad animales fractiones juvendas idonei sint, minus caloris habere debent, quàm in corde obtinent, idèque ad cerebrum deferuntur.


Quæres duodecimò: Cur timentes expallescant? Respondeo, quia Anima, ut vitæ consulat, sanguinem & spiritus cultodire gratiâ ad penitiora avocet.

Quæres tridecimò: Cur illis, quos subitus timor percellit, capilli horrent? Respondeo, quia frigiditas, quæ calori in viscera fugienti succedit spiracula cutis & capillos stringit, qui pressi, stricteque sursum eriguntur, similiter obtremis vox, quia formanda vocis instrumenta calore destituta præstare officium nequeunt.

Quæres ultimò: Cur vehementer irascentibus oculi rubescant? Respondeo, quia excitato ad cor fervore, sanguis tenuior in caput effertur & ad oculos, in quibus quia pellucidus sunt vapores sanguinei, facile apparent. Hæc de Animæ natura ad Animæ Conditoris & Creatoris Gloriam & Laudem, & ad Animæ meæ, cunctorumque Christianorum salutem dicta sufficiant.

Amen.

A. D. T. O. M. G.



META.